ret a mulierē ꝗ gie despōsata. ab angelo salutata ⁊ informata. Jō cātat eccl'a. Hoc opus nr̄e salutis ordo depoposcerat multiformis p ditoris ars vt artē falleret ⁊c. Et ꝓstruit sic. Ordo nr̄e salutis op⁹ h̄ depoposcerat. vt ars id ē. prudētia xpi. artem. i. prudētiā dyaboli multiformis pditoris falleret. Quinto ꝓfortat iusticia. Arguit iudei di. Si xp̄us erat ds ⁊ hō. q̄d oportebat ip̄m pati. q⁊ bn̄ fecisset remissionē generalē. sic faciunt qñq̄ dñi. Rñdeo. Et nisi fuiss̄ sua iusticiā que est sua essentia. q⁊ i deo ꝗtutes nō sūt q̄litates adueticie sic in nob. s̄z ꝗtutes in deo sūt sua essentia. Jō in redēptōne generis hūani voluit fuare modū. in q̄ apparet sua ifinita mia. q⁊ ipe q̄ nō obligabat voluit portare onus. et etiā sua infinita iusticia. q⁊ ip̄m p̄ciū sufficiens ⁊ supabūdās ipe voluit soluere. q⁊ voluit capi ligari. vt sibi credētes ⁊ obediētes saluarēt. Et sic de alijs. Qm̄ iust⁹ dñs ⁊ iusticias dilexit. xp̄s. Sexto ꝓfortat ꝗt⁹ tpantie. qñ exēplo passionis xpi hō se tempat i psperis. delicijs. cibis. ornamtis. recipiendo nisi necessitatē corpis. iuxta illd. j. Pe. ij. Obsecro vos frēs tāq̄ aduenas ⁊ pegrinos abstinere vos a carnalib⁹ desideriis. nō ōt necessarijs. Septio ꝓfortat ꝗt⁹ fortitudis. cogitādo qūo xp̄us fortit sustinuit clauos. coronā. inclinādo se. derisiōes dicētiū. alios saluos fecit. s̄z fuit fortis vsq̄ ad mortē dādo nobis exempluz stādi fortit in bōa vita vsq̄ ad mortē. Juxta illd. j. Lor. xv. Obsecro vos frēs stabiles estote et immobiles. Ecce qūo passio xpi ē medicina ꝓfortatiua. j. Petri. ij. Pctā nr̄a ipe ptulit in corpe suo sup lignuz vt pctis mortui iusticie viuam⁹. Ecce medicina curatiua iusticie. ⁊ etiā medicina cōfortatiua vbi viuā⁹. Dico tertio q⁊ passio xpi ē etiā medicina p̄seruatiua. Sic boni medici tpe pestilētie faciūt aliquā medicinā p̄seruatiuā ifirmitatis. ita fecit xp̄s ō sua passiōe. qñ tot sūt ifirmitates pctōr tā ex tēptatōibus dyaboli ⁊ occasiōib⁹ mūdi. q̄ etiā ex inclinatōib⁹ carnis q⁊ oz nos hz medicinā p̄seruatiuā q̄ est xpi passio. Nota ad h̄ pulcrā figurā Jone. j. Dic historiā de ꝓpha iona nauigāte. ⁊ ō naui ex tēpestate piclitante. Qui dixit nautis Mittite me i mare. ⁊ cessabit mare a vob. Scio ei qm̄ ꝓt me h̄ tēpestas veit sup vos. Tulerūt ḡ ionā et miserūt in mare. et cessabat ⁊ stetit mare a feruore. Nota ibi historiā. q⁊ figura fuit passiōis xpi. Vñ genus hūanū factū ē ad instar nauis. in ꝑncipio fuit strictū solū bn̄s duos postes. i. duas p̄sonas. s. adā ⁊ euam. Deiñ creuit paulatim ⁊ dilatatū fuit. Gal'. iij. Venit plenitudo tpis. Sz iā mō i fine mūdi strigit ad instar pupis nauis. Jō de naka hūana ōr. Facta ē q̄i nauis istitoris. Prouer. vl. Itē. Hoc mare magnū et spaciosū maib⁹ illic reptilia q̄z ñ ē nūer⁹. Alia pusilla cū magnis illic naues ptrāsibūt. ps. ciij. Mūd⁹ ē mare magnū. in q̄ sūt q̄plēs fortune ⁊ ptātes. Si ḡ vultis p̄fuari a morte pctī mortal' mittat ionas i mare. Jonas interptat colūba. ⁊ sigficat xp̄m hn̄tez simplicitatē colūbinā q̄ mittit in mare amaz p memoriā sue passionis cogitādo ōuote qūo ad istar ione i nocte passiōis dixit. Quē q̄rit̄s. si ḡ me q̄rit̄s. q. d. mittite me i mare amaz. s. amare passionis. ⁊ cessabit mare a vob. i. abstinebit̄s a pctis. cogitātes qūo ⁊ tāta passus sū ego. Isto mō hō refrenat a pctis ⁊ p̄fuat a morte culpe et gehēne. Ecce qūo passio xpi ē medicia p̄fuatiua. Jō ōt leo pp̄. Agnosce o xpiane dignitatē tuā. ⁊ dine ꝓsors fact⁹ nate: noli i veterē vilitatē degeneri ꝓuersatōe redire. Hem̄to q⁊ p̄ciū redēptōis tue sāguis xpi est. ⁊c.

Feria quinta in cena domini.

Sermo.

Hoc facite in meā

cōmemoratōz. j. Lor. xi. In h̄ p̄senti cōcurrunt tres magne solenitates. Prima est ō cena quā xp̄s voluit facere cum discipul' suis recipiēs valete ab eis. Secōa ē ō ablutōe pedu apl'or. q⁊ xp̄s qui erat dñs ⁊ rex ⁊ mgr voluit lauare pedes apostolor hūilit vt nob daret exēplū hūilitatis. Ille due solēnitates tāgūt in euāgelio. de q̄ bus fit fmo p⁹ prādiū. Tertia ē ō sctō sacro altaris. de q̄ loqt epl'a hodierna. De q̄ lz fiat fmo in die corpis xpi ⁊ de mirabilib⁹ ⁊ vtilitatib⁹ sacrām̄ti. hodie tn̄ est ꝓpria materia ō institutōe h⁹ sacramenti. s. q̄re ⁊ qūo h̄ sacramentū a xp̄o institutū est ⁊ ordinatū. Sed ꝑmo salutetur virgo maria. Hoc facite. ⁊c.

Ego quesiui in sacra scptura modū ⁊ rōem quare xp̄s ver⁹ de⁹ ⁊ homo voluit instituere et ordinare h̄ sanctū sacramentū. Et inueni q̄nq̄ rōnes ꝑncipales.

Prima ꝓt ostēsionē memorialem.
Secōa ꝓt oblatōem ꝑpetualem.
Tertia ꝓt refectōem spūalem.
Quarta ꝓt curatōem medicinalem
Quinta ꝓt ꝑmotōem celestialem.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

In cena domini.

De ꝑma loq̃t xp̃s ī thēate. pb̃ris ⁊ generalit̃ oīb̃ xp̃ianis di. Hoc facite. ſ. ſacrificiū ī meā ꝓmēoratōz. ſ. celebrādo. offerēdo. ſacrificando ī meā ꝓmēoratōz. ñ ī pecūie acq̃ſitōz. nec advanā gl'az vl' ypocriſis oñſionē. ⁊ vos layci h̄ facite. ſ. audiēdo miſſā. aſſiſtēdo. ꝓtēplādoz cōicādo. ī meā ꝓmēoratōz. ¶ Pria rō ī ſtitutōis h̄ ſacramti ēpt' oñſionē mēorialē ſcz ad oñdēdū q̃d ſit adorādū ab hoīe. Hāc rōez poſſū fūdare p regl'az phie dicētē Nihil ē in intellectu q̃n p̄ fuerit ī ſēſu. ſic pt exēplificari d̄ eccl'a q̃ hz q̃ncz ianuas. d̄ q̃ ē vex dicere q̃ nullꝰ ē in eccl'a q̃n intret p aliquā hax portax. ⁊ nihil ē in ītellectu q̃n ītret p aliq̃d hox. ſ. ſēſuū corpaliū. vl' ꝓm ꝓpetatē. vl' ꝓm diuerſitatē rei. vel ꝓm ꝓueniētiā vel dīaz rei l' ꝓm q̃ntitatē l' q̃litatē. vel ꝓm actōez vl' paſſionez. Deꝰ āt ī ſua eēntia ē ſuba inpceptibil' aliq̃ ſēſu corpali. qz ñ pt ocul' corpalib̄ videri. nec auribꝫ audiri. nec maib̄ tāgirē. Propter h̄ d̄s a ꝑncipio mūdi vſcz mō ſp voluit adorari ſub aliqua forma ſeu figura viſibili Certū ei ē q̃ d̄s apparuit ade abrahe ⁊ alīs ſctis p̄riarchis. q̃ ñ viderūt deū ī ſua eēntia: ſz viderūt formā vel figurā q̃ nō erat d̄s. Et adorabāt ñ formā iſtā vl' figurā ſz deū ī illa forma vel figura. Et ſic d̄s p illā formā vel figurā ītrabat in ītellectū illiꝰ cui apparebat. Deiñ veīt tpe ꝓphax. int' q̃s moyſes fuit primus. cui apparuit dñs ī forma ignis. qñ cuſtodiebat oues ietro ſoceri ſui. Et moyſes adorauit nō ignē nō rubū. ſz deū ī illa figura p quā ītrabat ī intellectū moiſi. Item qñ d̄s Exo. xx. dedit legē in mōte ſynai: ibi deꝰ apparuit ī forma ignis. ⁊ moyſes ⁊ ꝓpl's adorauit ñ ignē ſz deū ī illa forma. ī q̃ voluit adorari. ad oñdendū ſuā actiuitatē ī puniēdo vt ipos terreret. Jō dixit moyſes ꝓpl'o. Nolite timere. vt ei ꝓbaret vos d̄s veīt. ⁊ vt terror illiꝰ eſſz in vob̄ ⁊ ñ peccaretz. Exo. xx. Deīde p̄cepit moyſi vt faceret archā int' ⁊ extra deauratā d̄ auro puriſſimo. ⁊ d̄ ſup erāt duo cherubin q̃ tenebāt ꝓpiciatoriū. i. mēſā auri. ⁊ int' ī archa erāt due tabule legz. ⁊ ga aarō ⁊ amphora māne. ⁊ totꝰ ꝓpl's iudaicꝰ adorabat nō lignū a rche nec aux ſz deū. qñ ī illa forma ſeu figura voluit adorari. Rō ē. ſic archa cuſtodit illō q̃d ꝓtineē in ea. ita d̄s cuſtodiebat ⁊ ꝓſuabat illū ꝓpl'm q̃ diu ſibi credidit ⁊ obediuit. Et qñ portabat ꝓpl'us adorabat. et mō indei deridēt nos qñ adoramꝰ deū in hoſtia. Deiñ tpe regū poſtq̃ rex ſalomon ex p̄cepto dei edificauit tēplū. et archa fuit poſita in tēplo in ſanctaſcōx. nec potat videri. deꝰ voluit adorari in alia forma. ſ. in figura nubis. iij. Re. viij. Dñs dixit vt habitaret in nube. Et ſalomō ⁊ oīs ꝓpl'us adorabat. nō nubē ſz deū in illa forma. Rō q̃re in forma nubis voluit adorari tūc. qz ſic nubes refrigerat ꝗ calorē ſolis: ſic tpe ſalomōis iudei habebant magnū refrigeriū q̃etz ⁊ pacis cū oīb̄ inimicz. Deiñ venit d̄s et recepit forma humanā in vtero ꝗginali. ⁊ q̃diu chriſtꝰ vixit adorabat deꝰ in forma humana. ſz qñ xp̃s volebat recedere ab iſto mūdo p mortē corpalem poſtq̃ iam ordinauerat alia ſacramenta xp̃s ordinauit aliā formā ſeu figurā ſub q̃ deꝰ voluit adorari. nec ignis terribil': nec archa. nec nubes. ſz panis q̃ eſt melior p dictis figuris. ⁊ vitā dat. qm̄ vita hoīs ꝓſeruat in pane ꝑncipaliter. qz alij cibi ſūt de bñ eſſe. In q̃ oñdit q̃ deꝰ dat vitā gr̄e ⁊ gl'ie ſibi credētib̄ et obedientib̄. Ecce rō quare vult mō adorari ſub tali forma vel figura. qz noſ nō adoramꝰ panē. nec illā albedinē. q̃ repreſentat diuīaz puritatē. nec rotūditatē. q̃ repſentat diuīnā eternitatez. q̃ caret ꝑncipio et fine. ſed deū ꝓtentū ibidem. Auiſenk ſacerdotes ne hoſtia ſit angularis vel maculata Ecce q̃re d̄t xp̃us. Hoc facite in meā cōmemorationē. ſ. paſſionis mee. Ozee. xiiij Conuertenk ſedentes in vmbra eiꝰ viuent tritico et germinabūt q̃ſi vinea. memoriale eiꝰ ſicut vinuz libani. Effraym q̃d mihi vltra ydola. Umbra xp̃i fuit lex moyſi. Itez de nouo teſtamēto auctas. Quia p incarnati verbi. ⁊c.

¶ Secūda rō inſtitutōis hꝰ ſacramēti fuit oblatio ꝓpetualis. Pro cuiꝰ declaratōe ſciendū q̃ deꝰ a ꝑncipio mundi voluit vt oīns hoīes offerrent ſacrificium. Ratio. quia ipe eſt ꝑncipium q̃d dat omnia nobis. iō vult vt faciamꝰ ſibi aliquā oblatōem. ſed mutabat oblationes ſicut etiaz mutabat figuras ſeu formas adoratiōis. Chayn eñ obtulit de frugib̄ terre. ſ. de peiori. Abel aūt de gregib̄. ſ. de meliori. Melchiſedech aūt coram abrahā obtulit dño nō grana nec agnos: ſz panē ⁊ vinū. Geñ. xiiij. Et iā infideles q̃ habitabant in terra chanaā. antecz filij iſrl' habitarēt ī ea offerebāt filios ſuos ⁊ filias ydolis. Dic modū quo calefaciebāt ydolū d̄ ere ⁊ cū magno tumultu filios traxerī p ignē. ⁊ obtulerī illi ydolo ne pz ſētiret plorare filiū ſuū ⁊c. De q̃b d̄. Immolauerī filios ſuos et filias ſuas demonijs. p̄s. cv. Sed maluz fuit ſacrificiū ⁊ reꝓbatū. Jō p̄cepit deꝰ filijs

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Sermo

israel q offerrēt nō filios nec filias. sz aīalia boues. oues. vitulos. agnos. turtures ꝛc. et ꝗ durabat vsqz ad xp̄z q̄ debebat mutare sacrificiū. Et dimissis oīb alīs sacrificijs et modis sacrificiorū. s. chayn. abel. aaron. ꝛc. elegit sacrificiū melchisedech q obtulit panē ꝛ vinū q erat sacerdos ōi altissimi Juxta ꝓpham. Jurauit dñs ꝛ ñ penitebit eū ꝛc. ps. cit. Nō ōt fm ordinē aarō q obtulit aīalia. Ecce ꝗ oblatio ꝓpetual. Et ē tāte ꝟtutz q ī toto mundo nō remāsit aliud sacrificiū nisi istō. qz isto adueniēte oīa alia sacrificia debēt cessare. Jō mō nec agareni nec indei nec alij infideles hñt aliqd sacrificiū. qz tāta est excellētia hⁿ sacrificij q ōs ñ ꝓmittit q fiat aliud sacrificiū ī mūdo. Et ē ꝓpleta ꝓphetia Malach. j. Nō ē mihi volūtas in vob ōt dñs exercituū. ꝛ munⁿ ñ suscipiā ō manū vīa Ab ortu eī solis vsqz ad occasū magnū ē nomē meū ī gētib. ꝛ ī oī loco sacrificat et offert nomī meo oblatio mūda. Et loqbat sacdotib veterz legis. Nec auētas deberet scribi lr̄is aureis. Nota in oī loco. Judei ꝟo ñ audebāt facere sacrificiū nisi ī hierl'm ꝗ pena mortz. Et ōr oblatio mūda. secⁿ ē de oblatōe iudeoꝝ īmūda. Sacerdotes eī iudeoꝝ carnifices ꝛc. Sz oblatio xp̄ianoꝝ est munda. Auisent sacerdotes q mappa altarz ꝛ corpalia sint mūda. ꝛ hostia sit mūda. ꝛ vinū calix ꝛc. In ꝗ scō sacrificio ōs descēdit q̄libz die. ꝛ tm̄ nō recedit de celo. quēadmodū radij solares descēdūt ꝛ itrāt p oēs fenestras aptas et tm̄ nō recedūt a sole. nec a celo. De ꝗ dixit xp̄us apl'is qm̄ debuit ascēdere in celū. Ecce ego vobiscū sū oīb dieb vsqz ad ꝓsūmatōz scl'i. Mat. vlt. Glo. in sacrificio altarz. Hoc facite ꝛc. ¶ Tertia rō institutōis hⁿ fuit refectio spūalis. vñ certū sit vob q nulla creata viuens nec corpalis nec spūal' ꝑt viuere nec durare ī esse sine cibo. Qd de creatis corpalib pz ad oculū. De creaturz āt spūalib. sez angelis pz. qz etiā indigēt cibo ñ corpali sed spūali. Auētas. Dixit raphael thobie. Cum essem vobiscū. p voluntatē dei erā. Videbar q̄dē vobiscū māducare et bibere. sz ego cibo inuisibili ꝛ potu q̄ ab hōib videri ñ ꝑtrtor. Thobie. xij. Jō ōs tāqz bonⁿ pīfamilias. p uidit ō cibis corpalib corpib qm̄ dixit ade in padiso existēti. Et oī lig̃ padisi comedetz ꝛc. Ecce ꝓmⁿ cib. nō dedit licētiā comedēdi carnes ꝛ pisces. nec bibēdi vinū vsqz ad tps noe. ꝛ trāsiuerū tvltra mille q̄ngēti anni Si aliqs diceret. modicā ꝓfortatōez dabāt fructus. Rñdeo. īmo tūc maiorē ꝓfortatōez dabāt fructⁿ cū aqua q̄z mō capones. galline. ꝛ vinū. Unde dixit ōs. Ecce dedi vob omēz herbam afferentem semen sup terrā. ꝛ vniuersa ligna q̄ hñt in semetipis sementē generz sui. vt sint vob ī escā et cūctz aīantib tre. Geñ. j. Deiñ pⁿ diluuiū tpe noe postq̄z lauit mūdū ab īmūdis mutauit escas. qm̄ aqua diluuij ita destruxit terrā q ertūc fructⁿ nō fuerunt ita boni nec tāte ꝟtutz sicē ꝓus. ideo mō non est bonū solū comedere fructⁿ ꝛ bibere aquā Jō post diluuiū deⁿ dedit licentiā comedendi carnes. pisces. ꝛ bibere vinū dicēs. Cuncta aīantia terre ꝛ volucres celi ꝛ pisces maris manui vīe tradite sūt. ꝛ oē q̄d mouet ꝛ viuit erit vob in cibū. Geñ. ix. Deiñ in deserto vbi filijs isrl' defecit cib ꝑdictaꝝ escaꝝ deⁿ puidit eis de māna. q̄d q̄libz die descēdebat ō mane ad instar grani coriandri. q̄d durauit q̄usqz fuerūt in tra ꝓmissiōis. Jdeo Dō. Oculi oīm in te sperāt dñe: ꝛ tu das escā. ꝛc. Sz nōdū puiderat de cibo spūali. p aīab q̄ sūt spūales. ꝛ aīa est ꝓncipalior ps homis Jō dauid plāgendo dicebat. Esurientes ꝛ sitiētes: aīa eoꝝ in ipis defecit. Sz veit xp̄s q ordinauit escā ꝛ cibū spūalē. p aīab. s. hoc sctm̄ sacrificiū q̄d nō solū est. p oblatiōe sed etiā in refectionē spūalē vt in isto cibo anie recreent ꝛ fortificent in deuotōe ꝛ ꝟtutibus Nec credatz q iste cib descēdat ī stomachū corpis ad recipiēdū ibi digestionē. sz in stomacho aīe. s. memoria. De ꝗ cibo ꝓphetauit Dauid di. Et pluit illis māna ad māducādū: ꝛ panē celi dedit eis. Panē angeloꝝ māducauit hō: cibaria misit eis in abūdātia ꝛc. ps. lxxvij. Primo loqt̄ de māna iudeoꝝ ibi. Pluit illis māna. s. de nubib. et non de celo empirreo sz de celo aereo. Deiñ ōt de isto sacramto. Panē celi dedit eis. panē angelorū māducauit hō ꝛc. Nō loqt̄ de māna sicut dicūt iudei. qz angeli nō comedūt de manna. Nota cibaria ꝗ nō ꝑt intelligi de māna. q̄a nō erat nisi vnⁿ cib. sz de isto sacro in quo ē corpⁿ xp̄i aīa diuinitas ꝟtutes ꝛ influentie oīm bonoꝝ. Jō ōt cibaria. ideo cātat eccl'ia. Panis angelicⁿ fit panis hoīm. dat pais celicus figurz terminū. O res mirabilis: māducat dñm pauper et hūilis. ¶ Dic practice qūo xp̄us hodierna die in cena accepit placentulā panis azimi. ꝓpter hoc nos consecramⁿ in pane azimo. Et eleuatis oculis in celū bñdixit. ꝛ dixit illa cadē ꝟba q̄ nos dicimⁿ in consecratōne. Et dictis verbis non

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

remāsit ibi substātia panis. qz ꝓuersa fuit in corpꝰ xpi. z qz erat corpꝰ viuuz ideo erat ibi sāguis z aīa z diuinitas. sz apli nō videbant ibi corpꝰ. Et cōicauit ꝑmo seipm sic sacerdos ꝑmo se cōicat. Deinde alios. nec frāgē do placentulā frangebat corpꝰ xpi. sicut nō fragit ymago in fractione speculi. Deiñ cō municauit apl'os dicēs. Accipite z mandu cate. h̄ est corpꝰ meū. Dñe dixit petrus. Iste panis est corpꝰ vīm. Petre dixit xps. Nō est panis sz est corpꝰ meū. Iō cōmunica. Dixit petrꝰ postq̄ cōicauit. O dñe iste cibꝰ me con fortauit totū z animā meā illumīauit. Tūc dixit xps sibi. Ego dorob ptātē idē faciēdi Cōmunicauit eīm iudam q̄ indeuote z male parat accepit. z equaliter peccauit male cō municādo et xpm ꝓdendo. Si dicat quare xps cōicabat eū quē sciebat eē in pctō. z ma le paratū. Rñdeo. qz nolebat ipm publica re. qz pctm̄ suū erat occultū. Sic nec cura tus dz negare cōicationē illi quē scit secretū pctōrem si ponit se cū aliis ad cōicandū. q̄a diffamaret ipm. Dic qūo q̄libz xpianus dz cōicare in pasca. zc. pueri. xij. vel. xiiij. ānoz. Iō ōt xps. Dic est panis q̄ de celo descēdit Joh. vj. Non de celo aereo sz empirreo Dic qūo tpe apl'oz xpiani cōicabāt oī die. Erāt aūt pseuerātes in cōicatione fractōis paīs. Actuū. ij. Panis. glo. eukaristie. Deinde fu it ordinatū cōicare in qualibet dñica. Deiñ in quattuor festiuitatib pcipuis āni. Post modū fuit ordinatū q̄ semel in anno. s. ī pa sca q̄libet cōicaret. Dz ō bono ꝓsilio bonū ē cōicare in q̄ttuor festiuitatib pcipuis. Jo han. vj. Amē amē dico vob. nisi mādūcaue ritis carnē filij hoīs z biberitis eiꝰ sanguīez nō habebitz vitā in vob. Quarta rō insti tutionis sacramēti fuit ꝓpter curatōem me dicinalē. s. ad curandū plagas nras tā cor poz q̄z aīaz. Uñ oīa mala tribulatōes z mi serie z finaliter moz habuerūt ortū z vene runt ex cibo z comestione ade ꝯ pcepta dei Ex illo cibo porta fuit aperta omib malis. qz al's gentes habitassent in paradiso t̄restri sine miseriis z penis q̄buscūq̄z. Et postquā ibi vixissent iuxta diuinā ordinatōnem. deꝰ dixit michaeli. Descende in paradisū terre strez. z oēs q̄ sūt ibi talis eratz ascendāt huc. z sine dolorez morte illuc ascēdissemꝰ ad glo riā. sz ex pctō ade. zc. Iō ōt grāmaticꝰ. Mala mali malo mala ꝓtulit oīa malo. Cōstru ctio. mala. i. maxilla mali. scz ade. malo. id est ꝓpt pomū. oīa mala ꝓtulit malo. supple mū do. Quia licz eua comedisset de illo cibo. si adam nō comedisz nō fuissemꝰ obligati ad ista mala. nec fuissemꝰ ꝓcepti in pctō origi nali. sz sola Eua fuisset punita. Uidens do minꝰ deus q̄ dyabolꝰ ita ordinauerat q̄ ex fructu veniret omne malū. ipse oppositū or dinauit. q̄ ex fructu. s. arboris marie cui di cimꝰ. bñdictꝰ fructꝰ ventris tui. veniret om ne bonum toti mūdo. Sic dyabolꝰ arte sua tm̄ sciuit facere q̄ ex fructu oēs gētes plaga uit z vulnerauit. p oppositū ego faciā medici nā vl'em ꝯ oēs infirmitates tam corporū q̄z aīaz. Iō cantat ecclesia. Hoc opꝰ nr̄e salu tis ordo depoposcerat. zc. Questio est hic qz multi infirmi z vulnerati in corpe cōmu nicant q̄ tm̄ nō curant in aīa a pctis. immo pctā augmentant. qūo ḡ est medicina cura tiua. Rñdeo q̄ medici dantes aliquā medi cinā infirmo ꝓsiderāt duo. s. dispositōez in firmi z vtilitatē eiꝰ. Primo ꝓsiderāt dispoſi tionē infirmi. Iō aīq̄z dent purgatōz fortē infirmo miscent sibi siropū ad ꝑparandū et disponēdū. Jtē attēdūt z ꝓsiderāt vtilitatē finalē. qz lz possent curare infirmū sz nolūt. qz esset occasio mortz. vt patz de q̄dam rege Req̄rit etiā in patiēte dispositio z vtilitas fi nalis. Et si aliq̄d boz deficit. non est culpa medicine. Jdē in ꝓposito. si aliq̄s indispoſi tꝰ z male patꝰ recipit istā medicinā seu pur gatōez sine siropo ꝑuio disponēte. Quatu or coclearia siropi ad disponēdū fūt cordis ꝓtritō. oris ꝓfessio. oris satisfactio. z corpis afflictio cū aq̄ calida lacrimaz. sic aīa curat a pctis. Jdē de corpe. qz deꝰ scit q̄ ifirmitas corpis est ꝓficua aīe. qz ideo deꝰ dat infirmi tatē corpi. ꝑ salute aīe. qz ḡ sanitas z curatio illiꝰ esset nociua aīe. ido nō dat sanitatē quā al's daret infallibilit si esset vtil. Sine du bio ergo teneatz q̄ si homo sit bene dispoſi tus z bene paratꝰ z recipiet istam medicinā tam corpꝰ q̄z anima recipient sanitatē. Iō dicit sacerdos. Hec sacrosctā cōmixtio cor poris z sanguinis dñi nostri ihu xpi fiat mi hi et omnib sumentib salus mentis et cor poris. Ecce rō qūo fuit institutū ꝑ medici na vniuersali. Auctas. Altissimꝰ de tra creauit medicinā. z vir prudens non abhorrebit eam. Eccli. xxxviij. Nota. creauit. videtur tm̄ q̄ ista auctoritas includit ꝓtradictōez. qm̄ creare est de nihilo aliq̄d facere. Sm ph̄m. sz qm̄ de aliq̄ fit aliq̄d. illud nō ōr creare sed fa cere. Cū ḡ ōr. Altissimꝰ de terra creauit me dicinā. nō videt creare sz facere. Respondeo

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

q̃ in ꝶ sacramẽto nõ est ꝓprie generatio. nec alteratio. nec trãsmutatio. qz i alteratione z trãsmutatiõe subali subiectũ manet. Idẽ est de illo q̃d fit p generatõez aliq̃d remanet. vt patz in cinere. Sz in creatiõe nõ est ita. qm̃ in re nouiter creata nõ est aliq̃d q̃d ꝑius fuerit. vt ptz de aĩa a deo nouiter creata. Ita in ꝶ sacramẽto infra illaz albedinẽ est suba seu materia panis. z qñ fit transſubatio. totuz mutat. qz nihil remanet de materia vl̃ suba panis. Iõ magꝭ appropinquat creatiõi. ꝓpe ꝶ qz fit a sola potẽtia diuina. ideo ꝛt. Altissim⁹ de terra. i. de suba terrenali creauit. nõ dicit generauit fecit seu formauit. qz in istis sp̃ remanet aliq̃d de termino a q̃ in terminũ ad quẽ. q̃d nõ est in ista trãsubstãtiatiõe. Et vir prudẽs nõ abhorrebit eam. qz cõiter fastidiosi abhorrẽt medicinas. s. purgatõnes seu pillulas. qz nolũt ipas recipe. Sed prudẽs medic⁹ coopit medicinã cũ mellevl̃ aliquo bono ne videat nec sentiat. Ita fecit xp̃s optim⁹ medic⁹ q̃ in hostia coopit carnẽ suã q̃ nõ videt nec sentit. Iõ ꝛt. Vir prudẽs zc̃. Xp̃s posset bñ facere q̃ videret in hostia ꝓsecrata. sic videt ymago in speculo. Sz talis hostia nõ dz sumi a sacerdote. vt dicũt doc. qz abominabile esset comedere visibilit carnes hoĩs. Iõ xp̃s nõ videt. imo stat cooperius sub illo velo albedinis. sic rex infra cortinas. Iõ dixit ysa. cui ꝶ sacramentũ fuit reuelatuz. Vere tu es de⁹ absc̃ondit⁹: de⁹ israel saluator. ysa. xlv. ¶ Quinta rõ institutiõis fuit ꝓpter ꝓmotionẽ celestialez. vt. s. possim⁹ ascendere in celũ. qm̃ p naturã nul̃ ꝑt ascẽdere in celũ nisi de⁹. Celũ celi dño: terrã aũt dedit filijs hoĩm. Nota. celũ. i. gl̃a celi. dño. supple. cõpetit. p naturã. Terrã aũt dedit filijs hoĩm. Ideo nos si volum⁹ ascendere in celũ indigem⁹ ꝓmotore z adiutore q̃ ascẽdamus. qz ꝛt xp̃s. Nemo ascẽdit in celũ nisi q̃ descendit de celo. fili⁹ hoĩs q̃ est i celo. Joh. iij. Hoc ꝟbũ nisi bñ intelligat esset occasio desperatõis. Nemo ascendit in celum. ergo nec innocentes. nec penitentes. nec martyres. nec ꝓfessores zc̃. quia nul̃ ipsoz descendit de celo. Sed intelligit sic. Nemo ascendit in celum. supple. virtute ꝓpria. sz bñ ascẽdit homo in celũ virtute corpis xp̃i in ꝶ sacramento ꝓtenti. sicut nebula q̃ iacet de mane sup terrã que de se nõ potest ascendere. ꝓpter grauitatẽ quã hz. sed qñ venit sol q̃ ipaz calefacit tũc sol facit ipsam ascendere sursuz Idem de nobis qui sum⁹ terrestres et graues. ideo virtute ꝓpria nõ possum⁹ ascendere in celum. sed venit sol iusticie qui est in ꝶ sacramento. cui⁹ virtute possum⁹ ascendere. Iõ ꝛt viaticum. i. cibꝫ viatoz. Dic miraculum Hugonis de scõ vic. qui qñ cõmunicauit dixit. Ascendat fili⁹ ad patrẽ. et spiritus ad deũ q̃ dedit illũ. Et expirauit. et aĩa cum xp̃o ascendit in celũ. Hoc fuit figuratũ in ꝓpheta Helya dormiente. Ecce angelus domini tetigit eũ z dixit illi. Surge z comede grandis eſt tibi restat via. iij. Reg. xix. Sic q̃diu homo est i pctõ mortali dormit sicut ꝓpheta in deserto cũ piculo leonũ et lupozuz inferni. Et ꝛt sibi ab angelo. scilz sacerdote. Surge qui dormis z exurge a mortuis. zc̃. comede. scz cõmunicando. Et ambulauit i fortitudine cibi illi⁹ quadraginta diebus et quadraginta noctibꝫ vsq̃z ad montẽ dei. In sacra scp̃tura. dies significat ꝓsperitatem. z nox significat aduersitatẽ. Precepta aũt diuina sunt decẽ. q̃ seruanda sunt q̃druplicit̃er scilicet corde cogitando. ore loquendo. opere faciendo. et perseueranter implendo. quater decies sũt q̃dragĩta. et sic intrabim⁹ in montẽ dei. in regnũ celoz. Amen.

In die parasceues. Sermo.

Nos legem habemus z ꝓm legem dz mori. Habet ꝟbum istud Johan. xix. Et recitatum est in passione dñi hodierna. Quotidie p totam septimanã fuit facta repsentatio z memoria passionis iesu xp̃i. sed multũ diuersimode nunc q̃z alijs diebꝫ. Repzesentabatur eſm̃ tunc vt res diu ꝑterita. Et propterea dicentes missam tũc dicebant. In illo tempore. zc̃. Sed hodie recitat vt p̃sens et ocularit̃er visa. Et ideo hodie nõ dicitur. In illo tempore. sed hodie dicitur. Egressus ibs in p̃senti. Et est ratio differentie. qz res p̃sens plus mouet corda hominũ q̃z res ꝑterita. et plus pungit nunc ictus muscę q̃z olim vuln⁹ datum Et idcirco vt sentiamus dulcedinẽ z cõpatiamur animis nr̃is mortis xp̃i. ipsa nobis repsentatur hodie vt de p̃senti. et ita fit officiũ z sermones sicut si nũc xp̃s videretur esse in cruce. vt sentiam⁹. ꝓm q̃d dixit de⁹. Recordare pauptatis et transgressionis mee absinthij et fellis. Threnozuz iij. Nota. paupertatis. quia nudus crucifixus fuit. Et respondet prophęta in psona populi xp̃iani. Memoria memoz ero et tabescet in me anima mea. Ibidẽ. Memoria

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf